

adultus, cui ob peccatum veniale negata est gratia congrua, ob illud non formaliter sed occasionaliter solum damnatur.

Ad prob. N. utr. p. S. Aug. contra Pelagianos sic probat peccatum originale: parvulus, qui consequenter non potuit baptizari, excluditur a regno cœlorum; ergo propter peccatum: sed non propter peccatum personale; ergo propter originale. Hoc vero argumentum intactum relinquit nostram sententiam, qua occasionaliter tantum dicimus excludi parvulos a regno cœlorum ob parentum peccata. *Semipelagianos* ita aggreditur: nullis præcedentibus meritis arbitrii naturalis vel demeritis in parvulis, huic datur, alteri negatur gratia baptismi; ergo Deus per gratiam discernit prædestinatam a non prædestinato: sed hoc iterum non tangit assertum, quod enuntiat sufficientiam applicandi baptismum a parentum bono vel malo usu libertatis dependere, multo minus vero illud de actibus parentum vel aliorum per gratiam elicitis.

207. *Nec dicas 4º.* Quamvis voluntas Dei salvandi omnes æque extendatur ad parvulos ac ad adultos, nihilominus Deus *adultis* dat sufficientiam *positivam et supernaturalem*; non autem ita agit in favorem omnium parvulorum; ergo non obstante illa voluntate universali, potest etiam intervenire hoc discrimen, quod *adultis* conferat media salutis cuilibet intrinseca, parvulis vero præcise providerit de medio extrinseco scilicet baptismo, quin vel in voluntate aliena posuerit ejus applicabilitatem. *Conf. 1.* Gratia sufficientis collatio, etiam in *gentilibus*, non dependet ab usu bono vel malo libertatis; quia alias se viribus propriis saltem negative disponere possent ad gratiam; ergo nec applicabilitas seu sufficientia ad applicandum baptismum ab eo dependere potest. *Conf. 2.* Ex nostra sententia sequeretur, quod parentes et alii tenerentur sub gravi culpa ad exquisitam diligentiam pro parvulorum salute; maxime autem ad fundendas orationes, ut illi ad baptismum perveniant: horum autem *primum* pandit ostium infinitis scrupulis; et *secundum* nec fideles exercent, nec monentur ab Ecclesia; ergo.

R. N. Cons. Ex voluntate salvandi omnes recte probatur sufficientia, sed solum aliqua, sive ea sit *positiva* aut *negativa*, sive *proxima* aut *remota*, quia, quacumque ex his concurrente, salus ponitur in voluntate creaturæ, ita ut per Deum non stet quominus creatura salutem non consequatur: unde sequitur 1º. si ne quidem in voluntate aliena daretur sufficientia pro parvulis et potentia applicandi illis baptismum, nec in Deo dari voluntatem seriam circa eorum salutem: 2º. autem, non requiri eandem sufficientiam pro parvulis, quæ convenit *adultis*. Cæterum quod *adultis* detur sufficientia *positiva et supernaturalis*, probatur partim ex auctoritate, partim ex possibilitate orandi et observandi præcepta supernaturalia: contrarium de *parvulis* patet tum ex eo quod hi non sint capaces recipiendi gratiam actua-lem in seipsis: tum quod sufficientia pro his posita sit in opportunitate conferendi baptismum, quæ nihil in se continet supernaturale, supposita aliunde baptismi institutione. Hinc vero intelligi potest qua ratione quælibet libertas naturalis possit dici sufficientia ad salutem parvuli; nempe quatenus illius usus vel negative vel positive efficit, ut infans superstes in vita servetur, aqua et cætera requisita adsint, vel alio quocumque modo opportunitas applicandi baptismum fiat.

Ad Conf. 1ºam. R. N. Cons. *Disparitas* est 1º. quia gratia sufficientis reipsa datur omnibus *adultis* etiam *gentilibus*, ut patet ex prop. 5ª. ab Alex. VIII. damnata; ergo ejus collatio non dependet a conditione aliqua, sed confertur absolute: e contra opportunitas baptismi parvulis applicandi reipsa non datur omnibus; ergo ejus collatio recte dicitur dependere ab aliqua conditione: hæc vero non tenet se ex parte solius Dei; quia in eo est voluntas salvandi omnes: neque ex parte causarum naturalium, ut nuper probatum est: nec ex parte ipsorum infantum, ut per se patet; ergo ex parte causarum liberarum, maxime *parentum*, ut in responsione dictum est. 2º. Quia gratia sufficientis est donum in se ac vere supernaturale; ergo supra ordinem naturæ et cujuscumque meriti vel dispositionis naturalis: e contra sufficientia ad baptismum applicandum nihil in se est supernaturale, ut dictum est proxime.

Ad Conf. 2ºam. R. N. Seq. Quamvis enim certum sit nostram prædestinationem posse dependere ab usu divinæ inspirationis ad faciendum aliquid leve bonum, vel ad vitandum peccatum veniale; item licet probabilissimum sit omnes, per se loquendo et præscindendo a circumstantia particularis necessitatis, teneri ad orandum pro proximis in communi, eamque orationem, abstrahendo etiam a nostra sententia, habere satis certum effectum pro salute aliorum: tamen ex primo non sequitur, nos sub gravi culpa teneri ad *exquisitam diligentiam*; nec secundum debet ab Ecclesia proponi fidelibus; ergo idem ex simili dicendum est de sequelis ex nostra sententia deductis. Accedit 1º. quod Deus ita velit nostræ et parvulorum saluti consu-lere, ut neminem conjiciat in anxietates et scrupulos; quæ ratio Theologis familiaris est ad excusandum fideles, quando timor mali vel peccati secuturi est circa personam vel actionem indeterminatam: 2º. quod, dum pii parentes orant pro felici partu, implicite orant ut parvuli ad baptismum perveniant: idem fideles omnes petunt in oratione Dominica per illa verba: *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*; uti a SUAR. Tom. 2. de Rel. L. 3. c. 8. explicatur: 3º. quod sententia hæc nostra non sit certa, neque sufficientiam ad actum singularem aut modum orationis certum determinet; adeoque exigi non possit ut ab Ecclesia fidelibus proponatur.

ARTICULUS IV.

AN ET QUALIS IN PROVIDENTIA DEI SUPERNATURALI DETUR PRÆDEFINITIO ACTUUM BONORUM CREATORUM?

208. *Nota.* *Prædefinitio* est decretum seu voluntas, qua Deus antecedenter ad creaturæ liberæ determinationem absolute prævisam, ab æterno positive, absolute et efficaciter decrevit, ut ab eadem creatura aliquis actus bonus fiat in tempore. Differt a *Prædestinatione*, quod hæc sive mediate sive immediate intendat gloriam, illa autem præcise ac pure intendat actum bonum, abstrahendo nempe an gloria absolute sequatur, necne. Dividitur in *formalem*, quæ etiam intentio finis vocatur, et est voluntas Dei efficax, qua actus bonus ipse in se directe et immediate intenditur: et in *virtualem*, quæ et electio-

mediorum dicitur, et est voluntas, qua directe et immediate tantum intenditur medium aliquod cum actu bono infallibiliter connexum, v. g. gratia efficax; quia voluntas medium huiusmodi intendendo, hoc ipso actum illum virtualiter vult, licet formaliter eum non intendat, sed solam simplicem complacentiam ejusdem includat vel supponat. Controvertitur hic de *formali*. Potest autem tripliciter concipi; 1^o. independenter a scientia media, quatenus prædefinitio hæc vel immediate infert actum ipsum, vel physicam ejus prædeterminationem; 2^o. dependenter quidem, objective et in operando, non autem subjective et in existendo a scientia media, quatenus scilicet ante scientiam mediam concipiatur Deus prædefinire actum bonum, illum tamen nolit exequi nisi per medium, quod postea per scientiam mediam viderit esse efficax; 3^o. potest concipi tam subjective quam objective dependere a scientia media, quatenus prædefinitio non tantum sequatur hæc scientiam, sed etiam ab ea reguletur, et exequatur actum bonum per auxilium de se indifferens, quod prævisum est futurum efficax; uti patet in hoc decreto: Quia video per scientiam mediam Petrum consensurum auxilio A, volo consensum, et dabo ei auxilium A, ut consentiat.

209. *Dico*. Videtur probabilius, actus bonos prædicto modo tertio esse formaliter prædefinitos.

Prob. Juxta Scripturam et Patres Deus 1^o. Promittit opera nostra bona, ut patet ex Ezech. 11. ac 36. v. 27. *Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini; in quem locum S. Aug. L. de Præd. Sanct. c. 11. n. 22. ait: Locum ipsum scripturæ attendite, et videbitis illa Deum promittere facturum se ut faciant, quæ jubet ut fiant.* 2^o. Eadem dat et præparat, ut patet ex ep. ad Ephes. 2. 10. *Ipsius sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus; in quæ verba S. Aug. L. eod. c. 10. n. 19. inquit: Quod ait Apostolus... Creati in Christo Jesu in operibus bonis, gratia est: quod autem sequitur, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, prædestinatio est; et FULGENT. L. 1. ad Monim. c. 9. Sicut præparata est per prædestinationem voluntas a Domino, qua bonum velimus: sic etiam opera bona præparavit Deus, ut in illis ambulemus; et D. Thomas in eadem epistolam ac locum Apostoli scribit: Dicitur autem Deus nobis aliqua præparare, in quantum disposuit se nobis daturum.* 3^o. Ad eadem nos elegit et adducit, ut patet ex ep. ad Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et ad Rom. 2. 4. Ignoras, quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit; in quorum 1^{um}. S. Aug. L. cit. c. 18. n. 36. ait: Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus: ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans ut tales per gratiam ejus essemus; et in 2^{um}. Idem L. 3. cont. Julian. c. 4. n. 14. respondet: Quantumlibet præbeat patientiam, nisi ipse dederit, quis agit penitentiam? an oblitus es, quod idem ipse Doctor ait: ne forte det illis Deus penitentiam ad cognoscendam veritatem, et respiciant a diaboli laqueis.* Ergo cum Deus non tantum promittit, præparat et dat gratias, sed etiam ipsa opera bona, imo concedit gratias, ut opera eveniant; etiam directe et immediate intendit opera, et consequenter formaliter prædefinit.

Conf. Hæc sententia non lædit libertatem, nihil continet Deo inconveniens;

melius explicat, quomodo nihil fiat, quod Deus fieri non velit, vel sinendo, si malum est, vel si bonum, ipse faciendo, ut Aug. in Enchir. c. 93. loquitur; quomodo etiam ipsa Dei voluntas invicta sit, nec ipsi resistat humanum ullum arbitrium, ut Scriptura et Aug. sæpius asserunt; quomodo prima et maxime radicalis discretio salvandi a non salvando sit a gratuito et efficaci Dei beneplacito; quomodo gratia efficax non tantum in actu secundo, sed et in primo differat a sufficiente, et proinde sit moraliter major in ratione beneficii, et prædestinatis maxime conferatur ut efficax.

210. *Obj.* I. S. CHRYS. hom. 2. in epist. ad Heb. ait: *Deus sua voluntate non antecedit voluntates nostras, ne nostrum lædatur arbitrium: et DAMASCEN. L. 2. de fid. c. 30. Scire oportet, Deum omnia præscire, sed non omnia prædefinire: præscit enim ea, quæ in nostra potestate ac arbitrio sunt, at ea non prædefinit; neque enim vitium admitti vult, neque rursus virtuti vim infert; ergo damnant prædefinitiones.*

Conf. Principia actus creaturæ liberi illa tantum esse possunt, quæ importantur in hypothesei objectiva scientiæ mediæ: sed in hac nec importatur, nec importari potest prædefinitio formalis; quia nec potest importari ex parte conditionis, v. g. sic: si dederò auxilium cum prædefinitione consensus, erit consensus; cum alias conditionalis foret necessaria: nec ex parte conditionati, nempe ita: si dederò auxilium, erit consensus, me prædeficiente; cum ex hac parte solum sit objectum scientiæ mediæ, et alias collatio auxilii, quæ est purificatio conditionis, foret causa prædefinitionis, uti conditio dicitur causa conditionati, quamvis prædefinitio potius sit causa collationis auxilii; ergo.

R. D. *Cons.* Damnant prædefinitiones indiscriminatim sumptas tam ad malum, quam ad bonum C. tantum ad bonum Subd. absolute antecedentes, neque penitus a scientia media dependentes C. consequentes scientiam mediam, et in existendo ac operando ab ea pendentem N.

Ad Conf. R. 1^o. N. 2^{am}. p. min. Juxta plures enim Deus in illo statu videt suam prædefinitionem ex parte conditionati; quia scientia media, utpote comprehensiva omnium, attingit etiam quæ de facto concurrunt ad suum objectum, quamvis non sint necessaria ex parte potentiæ proximæ, ex quo solvitur probatio prima. Secunda autem non tenet; quia secundum hanc responsionem prædefinitio tantum attingitur ex parte conditionati, non autem ut conditionatum; ideoque conditio in eam influere non debet.

R. 2^o. D. M. Principia actus liberi creaturæ proxima et immediata, seu ad ordinem executionis creatæ præcise spectantia, tantum possunt esse illa quæ importantur etc. C. principia remota et mediata, seu ad ordinem intentionis tantum spectantia N. Ratio indifferentiæ est, quod principia posteriora in actum creaturæ non influant per se et immediate, sed solum mediante actu primo libertatis creatæ, quem immediate causant. Hinc vero patet 1^o. quod in statu absoluto poni possint, licet non attingantur in conditionato; quia, cum nullum ex principiis actus primi intrinsicis excludant, libertatem minime lædunt: 2^o. quod necessarium non sit ut ponantur etiam in statu conditionato; tum quia ad scientiam mediam per se loquendo spectat unice videre conditionem et conditionatum: tum quia ad veritatem

conditionalis propositionis non requiritur quodcumque, purificata conditione, conditionato convenit.

Inst. 1. Deus salva libertate creata pro statu conditionato nequit formaliter prædefinire consensum sub conditione, si homo haberet auxilium A: Item, post scientiam mediam consensus, nequit Deus prædeterminare consensum; ergo pariter salva libertate creata pro statu absoluto, vel post scientiam mediam Deus nequit formaliter prædefinire.

R. N. *Cons. Disparitas* est, quia prædefinitio in primo, cum scientiam mediam de consensu sub conditione futuro non supponere possit, deberet regulari per scientiam necessariam de consensu futuro ex vi et efficacia alicujus decreti vel auxilii intrinsece et per se connexi cum consensu et a voluntate inimpedibilis, adeoque idem præstaret, quod prædeterminatio in secundo; nempe ut consensus sit antecedenter necessarius et immutetur indifferentia potentiæ proximæ: neutrum est in nostra prædefinitione formali, quæ regulatur a scientia media et fertur in consensum per medium indifferens et ex se conjungibile cum omissione consensus.

Inst. 2. Prædefinitio infert necessitatem antecedentem; tum quia est causa actus prædefiniti: tum quia eundem antecedit et necessario infert: tum quia impeditur et frustrari nequit; ergo.

R. N. A. *Ad prob. 1^{am}.* D. Prædefinitio est causa proxima et immediata actus N. remota et mediata *subd.* eaque per se talis et requisita N. per accidens tantum talis et non requisita absolute C. Sicut enim actus malus creaturæ fit sine prædefinitione, sic et actus bonus potest poni, dummodo Deus det auxilium supernaturale et concursus indifferentem; adeoque prædefinitio non requiritur saltem ex parte actus et creaturæ. An vero ex parte Dei ac providentiæ non requiratur, disputant inter se Theologi.

Ad prob. 2^{am}. D. Prædefinitio physice antecedit actum C. logice *subd.* subsistendi consequentia C. prioritatem rationis objectiva N. Sicut ex eo quod Deus sciat actum futurum, sic etiam ex eo quod Deus velit actum, utrinque sequitur quod actus erit: prius tamen ratione est, actum esse futurum posita certa conditione, quam prævidere Deum, et consequenter prædefinire; quia, si voluntas creata hunc actum non vellet, Deus neque prævideret, neque prædefiniret. Hoc ipso autem prædefinitio nec antecedit nec necessario infert actum absolute et simpliciter, sed tantum antecedit secundum quid, et necessario consequenter infert.

Ad prob. 3^{am}. D. Prædefinitio nequit impediti directe, seu, ex supposito quod sit, carere suo effectu C. nequit impediti indirecte, seu fieri, ut nunquam fuerit N. Eodem modo explicatur *frustratio*, nisi frustrari prædefinitioem sumatur pro eo quod, ea jam posita, careat suo effectu; tum enim frustrari nequit, et actus non poterit non poni, sed tamen solum ex suppositione simpliciter consequente, seu alicujus, quod supponit liberam voluntatis determinationem.

Inst. 3. Quod alterum supponit ut positum, illud nulla ratione impedire potest: sed potentia proxima ad actum supponit prædefinitioem actus positam; ergo. *Conf.* Nulla datur nunc potentia impediendi præteritum, quia factum infectum fieri nequit: sed prædefinitio est quid præteritum; quia jam fuit ab æterno; ergo.

R. D. M. Quod alterum supponit ut positum, nulla ratione illud impedire

potest, si illud alterum saltem logice non dependeat ab hoc C. si ab hoc dependeat *subd.* non potest impedire consequenter C. antecedenter N.

Ad Conf. R. D. M. Nulla datur nunc potentia impediendi præteritum strictè dictum, absolutum et independens a præsentis C. præteritum minus strictè dictum, respectivum et dependens ab aliquo præsentis *subd.* non datur potentia illud impediendi directe et consequenter C. indirecte et antecedenter N. Idem respondetur de prædefinitioe, quod alibi de præscientia est expositum; neutra tamen proprie dicitur præterita, cum semper existat, licet detur ab æterno.

Inst. 4. Etsi voluntas, prout existens in statu conditionato, possit impedire prædefinitioem, non tamen id potest voluntas ut existens in statu absoluto; quia prædefinitio causalitate antecedit potentiam proximam creatæ voluntatis absolute existentem: sed hoc ipso actus prædefinitus solum ut conditionate, non autem ut absolute existens est liber; ergo.

R. N. M. *et prob. D.* Prædefinitio causalitate antecedit potentiam proximam creatæ voluntatis absolute existentem, tanquam principium per se requisitum et independens a consensu libero absoluto N. tanquam principium per accidens duntaxat requisitum et indirecte saltem dependens a consensu libero absolute futuro C. Dependens prædefinitioem ab actu prædefinito seu consensu absolute futuro sic ostenditur: Prædefinitio dependet a scientia media, tanquam a *regula* dirigente; hæc a consensu conditionate futuro, tanquam ab *objecto*; hic a consensu purificata conditione absolute futuro, tanquam a *conditione* sine qua non; quia nisi purificata conditione esset consensus absolute futurus, ante purificatam conditionem non esset conditionate futurus; ergo prædefinitio indirecte non tantum a consensu conditionate futuro, sed etiam absolute futuro dependet.

Inst. 5. Si voluntas ut absolute existens posset *indirecte* impedire prædefinitioem, inter hanc et actum prædefinitum aut saltem voluntatem daretur mutua naturæ prioritas; quia prædefinitio est natura prior quam actus prædefinitus, aut voluntas in actu primo posita ut absolute existens; cum illi conferat auxilium per scientiam mediam efficax prævisum; vicissim vero voluntas illa esset prior natura quam prædefinitio, cum impediens natura prius sit quam impeditum; ergo. *Conf.* Voluntas creata, ut in statu absoluto existens, nequit impedire scientiam mediam, adeoque nec prædefinitioem, quæ ideo impediti potest, quia supponitur posse impediti hanc scientiam. Nam id voluntas creata absolute existens nec *indirecte* impedire potest, quod eodem modo daretur, sive creata voluntas absolute existeret, sive non existeret: sed scientia media de consensu aut dissensu conditionate futuro eodem modo daretur, sive voluntas creata absolute existeret vel non; cum hæc scientia detur de actibus liberis hominum, qui nunquam sunt extituri; ergo.

R. D. M. Si voluntas ut absolute existens posset prædefinitioem indirecte impedire quasi a priori et per modum objecti, daretur etc. C. si solum possit impedire a posteriori et per modum conditionis *subd.* daretur mutua naturæ prioritas propria et in eodem genere N. impropria et in diverso Tr. Hanc autem prioritatem non repugnare, constat in exemplo finis et medii, productionis quoad primum et secundum esse.

Ad Conf. R. D. M. Id voluntas absolute existens nec *indirecte* impedire potest, quod daretur, sive voluntas absolute existeret sive non existeret tam

simpliciter quam purificata conditione *C.* quod daretur, sive voluntas simpliciter tantum existeret vel non existeret, non autem daretur nisi purificata conditione voluntas absolute existeret *N.* Verum quidem est quod scientia media possit dari de iis quæ simpliciter non existent in statu absoluto, unde etiam sequitur *absolute existentia* non esse objectum hujus scientiæ: non tamen datur de iis, quæ, purificata conditione sub qua possibili conditionate futura prævidentur, non existerent absolute; cum alias nulla connexio inter conditionem et conditionatum foret, et sic objectum scientiæ mediæ falleret: unde sequitur absolute existentia esse conditionem, sine qua non haberetur vera ac infallibilis scientia media.

211. *Obj. II.* Volitio absoluta ut consensus fiat, et voluntas indifferens ut consensus fiat vel non fiat, nequeunt stare simul; quia per hanc illa retractatur; sed *prædefinitio* est voluntas talis absoluta, et decretum indifferens applicativum omnipotentiae est voluntas illa indifferens; ergo. *Conf. 1.* Velle efficaciter consensus est nolle efficaciter carentiam consensus; sed nolle efficaciter carentiam consensus non componitur cum applicatione indifferente ut sequatur consensus vel ejus carentia; ergo. *Conf. 2.* Admissa prædefinitione, decretum applicativum omnipotentiae esset Deo immediate liberum, quia immediate oriretur a voluntate Dei per se indifferente, et non esset Deo immediate liberum, quia esset actus efficaciter imperatus a prædefinitione: sed implicat decretum Deo immediate liberum et non liberum; ergo.

R. N. Ass. Non magis repugnat prædefinitio et decretum indifferens applicativum omnipotentiae, quam volitio antecedens et inefficax salvandi omnes, ac volitio consequens et efficax aliquos non salvandi, sed propter eorum peccata damnandi; quia cum prædefinitio intendat consensus ab aliena libertate libere ponendum, decretum indifferens omnipotentiae applicativum supponere debet, tanquam objective antecedens.

Ad prob. D. M. Voluntas absoluta ut consensus fiat, non potest stare cum voluntate indifferente ut consensus fiat vel non fiat consequenter *C.* ut fiat vel non fiat antecedenter *N.* Voluntas exhibendi concursum indifferenter importat volitionem conditionatam concurrendi in actu secundo ad dissensum; sed sicut dissensus, posita prædefinitione consensus, est tantum possibilis potentia antecedente, sic et illa volitio est antecedens: hæc autem non pugnat cum volitione consequente contraria, cum habeat diversum objectum.

Ad Conf. 1^{am}. D. M. Nolle efficaciter carentiam consensus, antecedenter ac independentem a libertate humana et proinde a voluntate Dei exhibendi concursum indifferenter, nequit componi etc. *C.* nolle consequenter ac dependentem a libertate humana et voluntate Dei indifferente *N.*

Ad Conf. 2^{am}. R. prob. D. Decretum applicativum omnipotentiae, supposita prædefinitione, oritur immediate a voluntate Dei indifferente quoad applicationem omnipotentiae, seu exhibitionem parati concursus *N.* indifferente quoad ipsam omnipotentiam seu auxilium et concursum indifferenter paratum *C.* Respectu postremi decretum applicativum præcipue dicitur indifferens, unde sive sit actus imperatus a prædefinitione, sive ipsa prædefinitio consensus, nec hominis nec Dei libertatem minuit; præsertim, cum hæc applicatio *per accidens* fiat a prædefinitione.

Inst. 1. Volitionem esse efficacem est esse effectivam sive immediate per se ipsam effectum exequendo, sive immediate imperando executionem per potentiam aliam: sed prædefinitio est voluntas efficax, et volitio sic efficax nec cum indifferente omnipotentia nec cum libertate humana componitur; ergo. *Conf. 1.* Qui efficaciter vult cum alio influere determinate in actum, nequit esse indifferens ad influendum cum alio in eundem actum aut in actum contrarium: sed Deus vi prædefinitionis efficaciter vult cum homine influere determinate in actum; ergo. *Conf. 2.* Omne decretum Dei efficax, intentivum actus creati, est simul immediate executivum ejusdem: sed decretum immediate executivum actus destruit libertatem humanam, ut a nobis asseritur contra decreta prædeterminantia; ergo. *Maj. prob.* Deus non potest ullum actum creaturæ intendere, quia vi hujus decreti actus procedat a creatura simul et sua omnipotentia: sed decretum, vi cuius actus ab his causis immediate procedit, est immediate executivum; ergo.

R. D. M. Volitionem rei immediate liberæ et independentem ab aliena libertate esse efficacem est esse effectivam etc. *C.* Volitionem rei mediate tantum liberæ et dependentem a libertate aliena, qualis est prædefinitio divina actus creati boni *N.* Prædefinitio nec est effectiva immediate, per se ipsam exequendo effectum, nec effectiva mediate imperando executionem; sed tantum imperando volitionem præparativam executionis.

Ad Conf. 1^{am}. R. D. M. Qui efficaciter vult cum alio influere determinate in actum sibi immediate liberum, nequit etc. *C.* sibi mediate duntaxat liberum *subd.* nequit esse indifferens indifferentia se tenente ex parte intentionis propriæ *C.* tenente se ex parte executionis alienæ *N.* Posito, quod Deus ex directione scientiæ efficaciter velit dare homini totum actum *primum* libertatis, ut actum eliciat, non manet amplius indifferens spectato ordine suæ intentionis; secundum ordinem vero executionis *creatæ* manet ejus omnipotentia indifferenter applicata ad influendum vel non influendum cum homine in actum, prout ipse se determinaverit. *Item,* quod eadem in actu secundo in actum bonum influat, non provenit immediate et executive ab ipsa prædefinitione, sed a libertate hominis, influxum omnipotentiae libere determinante.

Ad Conf. 2^{am}. R. D. M. Decretum Dei est immediate executivum, si sit intentivum actus creati soli Deo non autem creaturæ liberi, quale est decretum physice prædeterminans, ut nobis videtur *C.* si sit intentivum actus creati Deo quidem mediate sed soli creaturæ immediate liberi, quale est prædefinitio per scientiam mediam regulata *N.* Hæc enim eo modo actum creatum liberum exequitur, quo exequi intendit: intendit autem illum exequi non per se immediate, sed mediate, per omnia scilicet creatæ libertatis constitutiva, quorum unum est divina omnipotentia indifferenter applicata.

Inst. 2. Prædefinitio formalis actus boni est absoluta volitio actus ut finis: sed absoluta volitio actus *ut finis* est prior volitione mediorum; ergo prædefinitio formalis est prior quam volitio mediorum, seu auxiliorum per scientiam mediam prævisorum; ergo hæc prædefinitio prior erit scientia media et ab illa non regulatur.

R. D. M. Prædefinitio formalis actus boni est simpliciter absoluta volitio actus ut finis N. est absoluta et simul conditionata volitio actus ut finis C. Dupliciter potest actus bonus prædefiniri: 1^o. per modum puræ intentionis et simpliciter absolute, quod fit si Deus, postquam etiam vidit media quibus voluntas est consensura, absolute decernat talem actum, nihil cogitando de mediis, ad quorum electionem postmodum progrediatur ex vi hujus intentionis: hæc prædefinitio, quamvis sequatur scientiam mediam, tamen ab ea non pendet et regulatur; consequenter non est in hominis potestate, et cum absoluta sit, inducit necessitatem. 2^o. Potest prædefiniri per modum intentionis mixtæ, ut nempe actus ille sit quidem absolute et efficaciter; sed per hæc media, sive si hæc media illum actum producant et ponantur; quod fit si Deus decernat talem actum simul et media, per quæ vidit hunc actum libere futurum: atque hæc sicut a scientia media pendet ac regulatur, sic et cum libertate humana componitur, et a nobis hic asseritur. Præterea non sequitur aliqua prioritas existentiae aut independentiæ ab alia voluntate, sed tantum *motivi*; nam qui eligit media propter finem, habet se sicut qui amat objectum propter motivum: hic autem dicitur etiam prius aliquo modo amare motivum, non quod aliquod rationis signum sit in quo intelligatur amare motivum sine objecto, sed quod motivum sit ratio amandi objectum, et sic intelligatur tantum *prioritas rationis a quo*. Hoc vero etiam magis tenet, ubi quis vult finem et media simul, vel finem per hoc medium et non aliter.

Inst. 3. Vi prædefinitionis formalis Deus dat auxilium efficax qua efficax, ita ut, si hoc auxilium non prævideretur efficax, aliud daret: sed per hoc ostenditur Deum intendere prius actum ut finem, et postea modo seligere auxilium quod investigaverit fore efficax; ergo. *Conf.* Si Deus per prædefinitionem non intenderet prius actum bonum, intenderet eum in auxilio tanquam in causa: sed sic foret prædefinitio tantum *virtualis*, non autem formalis; ergo.

R. D. M. Vi prædefinitionis formalis Deus dat auxilium efficax qua efficax secundum quid C. qua simpliciter efficax N. Auxilium efficax dicitur dari qua *simpliciter* efficax, quando datur ex intentione actus, ita ut, si videretur esse inefficax, ex omnibus possibilibus auxiliis seligeretur aliud efficax, seu daretur semper aliud, usque dum aliquod esset efficax; ex hac autem sic dantis comparatione, intelligitur actum intendi seorsim a mediis, non autem cum medio aut per medium certum, adeoque nec dependentem a scientia media: unde in nostro systemate locum non habet, præsertim cum per auxilium ejusmodi tolli libertatem humanam necesse foret. Dicitur autem dari qua efficax *secundum quid*, quando datur ex intentione actus, ita ut, si videretur esse inefficax, daretur aliud ex certis, v. g. decem, certæ speciei vel qualitatis auxiliis, quod per scientiam mediam Deus jam prævidet futurum efficax; in qua explicandi methodo retinetur dependentia a scientia media et intentio finis per hoc vel illud determinatum medium.

Ad Conf. R. Tr. M. N. min. Nam prædefinitio *virtualis* vel dicit solam complacentiam circa actum, non vero absolutam et efficacem intentionem actus, vel virtualement duntaxat, non autem formalem volitionem; quamvis autem Deus actum intendat in auxilio tanquam in causa, tamen imprimis

non habet simplicem complacentiam de actu: deinde nec habet duntaxat virtualement volitionem actus; cum per hoc auxilium explicite et formaliter velit actum. Atque hæc de actibus salutaribus maxime prædestinatorum dicta sunt.

CAPUT III.

DE PROVIDENTIA DEI CIRCA ELECTOS.

ARTICULUS I.

AN VERA EX PARTE DEI DETUR PRÆDESTINATIO?

212. *Nota.* Prædestinatio *adæquate* sumpta definiri potest: præscientia et decretum, quo Deus ab æterno efficaciter statuit, hominibus aliquibus providere de largiendis gratiis in hac vita, et de assecutione regni cœlorum in altera. Hanc dari negarunt tum ii, qui inficiati sunt Dei providentiam; tum *Pelagiani* et *Semipelagiani*, qui inde libertatem nostram perire, hominesque vel in socordiam vel desperationem induci rebantur. *Ambrosius Catharinus* insignis ex Ord. Præd. Theologus duplicem salvandorum statuit ordinem; 1^{um}. eximie sanctorum, Deiparæ nimirum, Apostolorum aliorumque virtutibus et miraculis celebrium; et hos prædestinatos vocat: 2^{um}. eorum qui minoris quidem meriti et perfectionis sunt, sed tamen regni cœlorum fiunt participes; et hos negat dicendos prædestinatos: præterea in prædestinationis vocabulo particulam *præ* vult importare prioritatem dignitatis et meritorum excellentiam, non autem temporis. Ob hæc censuerunt Theologi plures, negatam a *Catharino* esse prædestinationem, tum quantum illa significat decretum æternum, tum quantum significat prædilectionem et electionem; adeo ut non soli prædestinati salutem æternam consequantur, sed etiam alii, quos quidem Deus præscivit, non tamen singulariter ordinavit ad merita et præmium æternum: alii vero negant hanc esse genuinam *Catharini* doctrinam, voluntque ab eo duplicem duntaxat prædestinationis modum assertum: unum quidem *ante* prævisa merita per infallibilia et specialiter provisa gratiæ auxilia, et sub hoc primum illum ordinem contineri; alterum *post* prævisa merita ex auxilio quidem gratiæ sed generali et omnibus communi.

213. *Dico I.* Datur vera prædestinatio, eaque non dignitatis tantum, sed et temporis præminentiam denotans.

Prob. 1^a. p. Luc. 12. 32. Christus inquit: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et *Matth. 20. 23. Sedere ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* *Apost. ad Rom. 8. 30. Quos prædestinavit, hos et vocavit,*